1895
MAY
MAY
1896

FA 260.088 . (1-17)
i 17759767

✠

OFFICIA PROPRIA

FESTIVITATUM

POMPELONENSIS

ECCLESIÆ ET DIOECESIS.

Á SUMMIS PONTIFICIBUS

APPROBATA

JUXTA RUBRICAS BREVIARII Romani Urbani VIII. & Decreta Sacræ Rituum Congregationis.

POMPELONE:

Apud Franc. Erasun et Rada.

Anno MDCCCXXXIII.

UNIVERSIDAD DE NAVARRA BIBLIOTECA

DIE V. JULII

IN FESTO

SANCTI MICHAELIS DE SANCTIS

CONFESSORIS

Duplex

ELOGIUM IN MARTYROLOGIO INSERENDUM

DIEBUS X. APRILIS ET V. JULII.

Quarto Idus Aprilis. Vallisoleti in Hispania Sancti Michaelis de Sanctis Confessoris Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum vitæ innocentia, admirabili pœnitentia, charitate in Deum eximii: quem Pius Nonus Pontifex Maximus recurrente festo Pentecosten anni millesimi octingentesimi sexagesimi secundi solemnitèr inter Sanctos retulit, ejusque Festum tertio Nonas Julii adsignavit.

Tertio Nonas Julii. Sancti Michaelis De Sanctis Confessoris, cujus depositio quarto Idus Aprilis recensetur.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter sequentia.

i 17759894

ORATIO.

Misericors Deus, qui Sanctum Michaelem Confessorem tuum morum innocentia, et mirabili charitate præstare voluisti; concede, quæsumus, ut igne tui amoris succensi ad te pervenire mereamur. Per Dominum.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

Michäel de Sanctis Vici in Hispania citeriore piis et honestis parentibus natus mundum antea comtempsisse quám agnovisse visus est. Penè infans perpetuam virginitatem Deo vovit; cumque rei conscius Pater nuptias illi per jocum proponeret, in lacrymas effusus puer, atque ad Deiparæ Virginis aram confugiens, emissum votum ferventius renovabat. Sexennis ad sanctorum vestigia sectanda in Monsenii speluncam secessit, in qua, dum patientis Christi mysteria in genua provolutus piis sensibus, lacrymisque prosequitur, á patre repertus, domum redire coactus est. Neque tamen de præconcepto severioris vitæ proposito quidquam remisit. Unicum illi erat cœlestium desiderium, perpetua cum Deo consuetudo, innocentis vero carnis maceratio major, quam ut tenera illa ætas ferre posse videretur. Nam ter in unaquaque hebdo-

mada jejunans, somnum super sarmentorum fascibus, saxo capiti supposito, carpens, flagellis in se ipsum sævire, et etiam aliquando corpusculum, Sancti Francisci exemplo, in spinarum acervum conjicere, et cruentandum volutare non duvitavit, quin tamen singulari Dei beneficio spinæ illæ purissima membra attingerent, atque in minimo offenderent. Quibus, aliisque cruciatibus admirabili illi pœnitentiæ proludebat, quam posteà ad hominum stuporem tantoperè adauxit.

Lectio V.

Anno ætatatis duodecimo nondum expleto, solus, et pedes egrediens de domo, et cognatione sua Barcinonam contendit, ibique Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordinem inter Calceatos amplexus, quamprimúm per ætatem licuit, solemnia vota nuncupavit. Paucis inde post mensibus ad strictiorem Discalceatorum ejusdem Ordinis Familiam se transtulit. In hac nova Regularis disciplinæ palestra mirum est, quod quantisque virtutum incrementis etiam inter continuas studiorum exercitationes anteactæ vitæ sanctitatem cumulaverit. Tanto enim studio singulas Instituti leges observabat, ut nullam ex eis præteriise compertum fuerit. Virginitatem, quam quinquennis Deo voverat, non modo inviolatam servavit, verùm etiam præclarissimo Dei munere nunquàm carnis illecebris allectus est, neque in mente cogitationem ullam minus honestam habuit. Arctissima præditus paupertate, per plures annos neque cubiculum ha-

buit, neque pulvinar, ubi caput reclinaret. Christi mansuetudine indutus, cum omnibus patiens fuit, et misericors; iis, qui sibi contumelias, aut damnum intulerant, semper pro malo bonum reddidit. Invicta in adversis enituit fortitudine. Prudentissimus in aliorum regimine, sibi se judicem acerrimum, reliquis vero humanissimum patrem exhibuit.

Lectio VI.

Cum Deum totis viribus diligeret, ab ipso maximis locupletari meruit charismatibus. Nam crebris et mirificis rapiebatur ecstasibus, quibus vel in sublime toto assurgebat corpore, vel cœlum ascendere videbatur, cum aut de Dei bonitate loqueretur, aut sacris operans Calicem elevaret. Nec minori erga proximos charitate flagrabat, quos et privatis consiliis, et publicis concionibus, et assidua Sacramenti Pœnitentiæ administratione juvare nunquam prætermisit. Cum vero virtutes ejus non populi modò, sed viri principes admirarentur, ea tamen erat animi dimissione, ut se dæmonibus ipsis deteriorem affirmaret. At humani generis Redemptor, cui exaltare humiles in deliciis est, hunc servum suum fidelem peculiari voluit illustrare prodigio, quo ipse divini sui cordis misticam commutationem cum corde illius inire dignatus est. Hoc itaque charitatis incendio decumbens, spiritum Deo reddidit Vallisoleti die decima Aprilis, anno millesimo sexcentesimo vigesimo cuarto, ætatis suæ trigesimo tertio. Quem multis ante et post obitum miraculis

clarum, Summus Pontifex Pius Sextus Beatorum fastis adscripsit. Pius vero Nonus Pontifex Maximus sacro Cardinalium, aliorumque ferè tercentorum Antistitum Ecclesiæ, et Apostolicæ Sedis jura strenuè contra insidiantes hostes propugnantium Senatu circumdatus, recurrente plausu Urbis et Orbis sacro Pentecostes die octava Junii anni millesimi octingentessimi sexagesimi secundi in Vaticana Basilica illum novis fulgentem signis Sanctorum catalogo solemni ritu accensuit.

IN TERTIO NOCTURNO.

Leccio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Cap. 22. ℣. 29.

In illo tempore respondens Jesus, ait Sadducæis: Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei; in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Lib. de Virginitate.

Virginitas est bona : id ego quoque fateor. Adqui nuptiis etiam melior; et istud tibi assentior: ac si libet, illud adjungam tanto nuptiis eam præstare , quantum cœlum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt: ac si quid prætereà addendum est, etiam magis. Nam, si neque nubunt Angeli, neque uxorem ducunt; non etiam carne,

et sanguine coagmentati sunt; in terris prætereà non commorantur, non cupiditatum, aut libidinum perturbationibus sunt obnoxii; non cibi indigent, aut potus; non sunt ejusmodi, ut eos dulcis sonus, aut cantus mollis, aut præclara species possit allicere: nulla deniquè eius generis illecebra capiuntur.

Lectio VIII.

At humanum genus cum natura beatis illis mentibus inferius sit, omni vi, studioque contendit, ut, quoad ejus fieri potest, illas assequatur. Quomodò? non nubunt Angeli, at neque etiam virgo. Assistentes illi semper ad Deum, eidem inserviunt, et istud ipsum virgo. Quod si virgines, quamdiu corporis onere deprimuntur, quemadmodum Angeli, in cœlum nequeunt ascendere; illud eo vel maximo solatio compensant, quod modò spiritu, et corpore sancti sint, cœli Regem recipiunt. Videsne virginitatis præstantiam? quomodò terrarum incolas sic afficiat, ut qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis mentibus exæquet?

Lectio IX.

Qua enim, quæso, re differebant ab Angelis Elias, Eliseus, Joannes, veri hi virginitatis amatores? Nulla, nisi quod mortali natura constabant. Nan cœtera si quis diligenter inquirat, hi nihilominus affecti reperientur, quam beatæ illæ mentes; et idipsum, quo inferiore conditione

videntur esse, in magna est eorum laude ponendum. Ut enim terrarum incolæ, et qui essent mortali natura, possent ad illam virtutem vi, et contentione pervenire; vide quanta eos fortitudine, quanta vitæ ratione præditos fuisse oporteat.

Te Deum laudamus.

MISSA

Propria ut in appendice Missalis Romani.

Oratio.

Misericors Deus, qui Sanctum Michaelem Confessorem tuum morum innocentia et mirabili charitate præstare voluisti; concede, quæsumus, ejus intercessione, ut à vitiis liberati, et igne tui amoris succensi, ad te pervenire mereamur. Per Dominum nostrum...

PAMPILONA:

Typis Francisci Erasun et Rada.

De Ordinarii licentia.



OFFICIA

ROPRIA